ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Proficiscente Pertio, Hugeni Nobilissime, obsequium qualecunque, pro meo modulo tibi praestandum, negligere nec potui. Is itaque exempla literarum ad Gallos tibi perferet: et una transumptum literarum ad Mersennum, prid. kal. novemb. CIↃ. IↃC. XXXVIII datarum: quas tamen hactenus nec transmisi, sed sequenti vice transmittam. Videbis in eo plurima, sed compendiose ac clare rem Musicam explicantia. Quod ad valetudinem, extra aleam res est. Sed doloribus nimis fatigatum, exhaustumque corpus. Praecipue vero cerebrum, nescio qua vertigine affectum, occupationes serias, studiaque nec fert. Quindenam itaque otio ac curanda valetudini impendendam decrevi: quo spacio, si serenior mitiorque aura adspiret, pristinas vires recuperandas spero. Interea vero me solito favore complectere, atque ad tua destinatum servitia habe. Vale. Harlemi CIↃ. IↃC. XLI. III Martij

Tuus servus

J. Alb. Bannius

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2655a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2655a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2655a

Illustri ac Nobil^{mo} Viro

Constantino Hugenio
Equiti, Domino in Zulicom,
Suæ Celsitudini a Consilijs,
& Secretis. &c.

Hagam Comitis

Amica manu.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2655a